



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Quinam sunt Excommunicati vitandi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

omnibus bonis communibus Ecclesie & ejus dispensationi subiectis, & abscinditur à corpore Ecclesie juxta illud, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.*

Excommunicatio minor est ea, quæ privat ex parte, seu aliquibus tantum bonis communibus Ecclesie, nempe receptione & administratione licitâ Sacramentorum, & passivâ electione ad dignitates ac Beneficia. Hæc contrahitur solum ob communicationem culpabilem, etiam in civilibus, cum excommunicatio non tolerato, c. 3. *de sent. excom. in 6.* ex Conc. Gener. Lugdun. & Sanchez, dicit omnes sentire eam ob peccatum veniale contrahi. Qui tamen cum eo communicavit in crimine criminoso, idest, ob quod contracta est Censura, consilium, auxilium vel favorem impendendo, incurrit excommunicationem majorem, *cum facientem & consentientem par pœna constringat*, c. 29. *de sent. excom.* A minore excommunicatione absolvere potest, quicumque potest à mortali culpa, cum non sit reservata, ex eod. cap.

Q. 2. *Quinam sunt Excommunicati vitandi?*

Resp. Olim omnes erant vitandi. Sed jam ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda.* à Conc. Constantiensi, teste S. Antonio approbata, & jam pridem ubique observata, atque ex usu præsentis Ecclesie, ii solum sunt vitandi, qui per sententiam Judicis Ecclesiastici nominatim declarati sunt excommunicati, & publice

blicè denuntiati item notorii percussores Clericorum, hoc est ii, quorum percussio publica nullâ potest tergiversatione celari, nec ullo juris suffragio excusari, licet non sint denuntiati. Equidem juxta Conc. Basiliense sess. 20. & Bullam Leonis X. de Concordatis approbatam à Conc. Later. 5. vitandi sunt etiam omnes, quos notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse. Sed ex usu prævalet Bulla Martini V. quæ quidem non extat in actis Conc. Constantiensis, sed refertur à S. Antonino 3. p. Tit. 25. cap. 3. Unde excommunicati alii sunt tolerati, quos scilicet fideles non tenentur vitare: & alii non tolerati, quos tenentur vitare, nempe nominatim & publicè denuntiati, vel notorii percussores Clericorum. Varii Doctores Galli dicunt publicum Clerici percussorem in Gallia vitari non debere, nisi accesserit sententia quâ declaratur injustus Clerici percussor: quia secundum legem vel consuetudinem regni, ad notorietatem facti criminosi requiritur declaratoria Judicis sententia.

Q. 3. Quinam sunt effectus Excommunicationis majoris?

Resp. Sunt septem, nam excommunicatus etiam toleratus & contritus. I. Privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, scilicet Sacrificiis, Orationibus, Indulgentiis: ita ut non liceat Sacerdoti tanquam Ecclesiæ Ministro, & nomine Ecclesiæ pro illo Sacrificium, nec preces